

parcaq; in operibus sumptus cum ratione temperatio. Hæc ita obseruabitur, si primum architectus ea non quaeret, quæ non poterunt inueniri, aut parari, nisi magno. Namq; non omnibus locis arena fossitia, nec cementorum, nec abietis, nec sappinorū, nec marmoris copia est, sed aliud alio loco nascitur, quorum transportationes difficiles sunt & sumptuosæ. Vtendum autem est, ubi non est arena fossitia, fluuiatica, aut marina lota. Inopiæ quoq; abietis aut sappinoriū uitabuntur, utendo cupresso, populo, ulmo, pinu. Reliqua quoq; his similia erunt explicanda. Alter gradus erit distributionis, cum ad uulgi patrum familiarum, aut ad pecuniæ copiam, aut ad elegantia dignitatem, ædificia alte disponentur. Namq; aliter urbanas domos oportere cōstitui uidetur, aliter quibus ex possessionibus rusticis influunt fructus, non idem feneratoribus, aliter beatis & delicatis, potentibus uero, quorū cogitationibus respu. gubernatur, ad usum collocabuntur, & omnino faciendæ sunt aptæ omnibus personis ædificiorum distributiones.

De partibus architecturæ in priuatorum & publicorum ædificiorum distributionibus & gnomonicæ & machinationis. Caput. III.

**P** Artes ipsius architecturæ sunt tres ædificatio, gnomonica, machinatio. Aedificatio autem diuisa est bipartito, è quibus una est mœniū & communium operum in publicis locis collocatio, altera est priuatorum ædificiorum explicatio. Publicorum autem distributiones sunt tres, è quibus una est defensionis, altera religionis, tertia opportunitatis.

Defensionis